

Nom. B. V. M., vd.: *Festum SS. Nom. B. V. M.* (Non transfert. decr. n. 5161.)

Ad dub.: Quum ex S. Rituum Congregationis indulto die vigesima Septembris Missa solemniter celebratur propria B. M. V. sub titulo *Humilitatis*, etiam si occurrat aliud officium ritus duplicis, quaeritur: an occurrente praedicta die officio dolorum B. M. V. aut die octava, Missa cum cantu celebrari debeat de Humilitate aut dolorum?

S. C. resp.: „Detur decretum in una Bahien. diei 26. Januarii 1793 ad secundum dubium, nimirum celebrandum esse Missam festivitatis tamquam non votivam.“ N. 4670 ad 1 die 12. Novbr. 1831.

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii superiores Congregationis titulo B. M. V. septem dolorum erectae in ecclesia parochiali villae de Medellin dioecesis sanctae fidei in Indiis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparem praeserunt devotionis, affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum a consodalibus ejusdem Congregationis et a Clero eidem ecclesiae addicto in dominica tertia Septembris recitari possit ritu *duplici majori sine octava* officium cum missa septem dolorum B. M. V. approbatum auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 30. Mart. 1796.
(Bull. r. Continuatio t. X. p. 3.)

Ad dub. 1.: Quando festum s. Matthaei Apost. occurrit Dom. III. Sept., debetne agi de s. Matthaeo, quia unicum festum per annum habet vel potius an agi debeat de septem doloribus B. M. V. huic dominicae assignatae, quamvis iteratum sit festum de septem deiparae doloribus et solemnitas non sit una de praecipuis B. M. V.?

2. Quatenus transferri debeat officium septem dolorum, debetne officium istud reponi prima die libera juxta rubricas vel an sit omnino transferendum ad primam ex insequentibus dominicis non impeditam?

3. Et si officium septem dolorum deiparae in casu reponi debet in prima sequenti dominica, debetne retinere suam octavam ex eo, quod sequens ista dominica habeatur veluti sedes propria?

4. Et quatenus saepedictum festum dolorum transferri debeat cum octava, debetne haec octava cessare post nonam insequentis sabbati, ne impediatur festum sacratissimi Rosarii B. M. V., quod speciali fidelium pietate celebratur?

5. Occurrente Dom. III. Sept. die 17. mensis ipsius, dum in dioecesi Aretina impressio s. Stigmatum in corpore s. Francisci commemoratur cum officio sub ritu dupl. II. cl., debetne et in hoc casu officium septem dolorum transferri, quamvis haec non sit unica intra annum solemnitas s. Patriarchae Assisiensis?

Et s. eadem C. respondendum censuit:

Ad 1. „Servandum Generale Decretum.“

Ad 2. „Provisum in eodem Decreto.“

Ad 3. „Ut ad proximum.“

Ad 4. „Affirmative in casu.“

Ad 5. „Provisum in memorato Decreto.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 5194; die 17. Septbr. 1853.

Indultum recitandi in cunctis regnis et dominiis regis cathol. Hispaniarum dominica tertia Septbr. officium septem dolor. B. V. M. esse concessum sub ritu dupl. maj. et pro dominica, quae est tertia mens. Septbr. et sic quae habuit ante se duas in eodem mense. N. 4090 die 11. Julii 1739.

Collen.

Ut in divinis persolvendis laudibus omnia rite et juxta sanctas leges peragantur, S. Rituum Congregationi sequentes quaestiones et debia enodanda proposuit Canutus Bruschi Canonicus Collegiatae Ecclesiae Oppidi Podii-bonitii dioecesis Collen. nomine etiam Cleri ejusdem Oppidi, nimirum:

1. Utrum decretum Urbis et Orbis ser. me. Pii VII. Pontificis maximi datum sub die 18. Septembris 1814, quo praecipit ut in posterum in universa Ecclesia ubique Terrarum quotannis in dominica tertia Septembris celebretur festum dolorum B. M. V. sub ritu duplicis majoris, abrogaverit atque aboleverit omnia peculiariter decreta aliquibus dioecesibus antea concessa celebrandi idem festum sub ritu duplicis secundae classis cum octava?

2. Utrum nostra dioecesis, quae suscepit decretum supramemoratum illudque servavit usque adhuc, possit modo inconsulta Sede apostolica, resumere observantiam alterius decreti ejusdem summi Pontificis Pii VII. pro regno Hetrueriae emanato sub die 18. Novembris 1807, cum quo concessit recitari posse officium septem dolorum in dominica tertia Septembris sub ritu duplicis secundae classis et cum octava?

Si responsio ad secundum dubium erit affirmativa, oriuntur sequentes quaestiones, nimirum:

1. Cadens in dominica tertia Septembris festum s. Matthaei Apostoli et

Evangelistae, quale de duobus Officiis ejusdem ritus remitti debeat juxta rubricas?

2. Si in die octava septem dolorum B. M. V. occurrat festum ejusdem beatae virginis sub titulo de Mercede, quaeritur: an eo anno transferendum sit vel octava omittenda, uti evenit quando in octava nativitatis B. M. V. occurrat festum SSmi Nominis ejusdem? Et sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario coetu, audita relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis atque libratiss, respondendum censuit:

Ad 1. „Negative.“

Ad 2. „Affirmative“, et ad primam quaestionem: „servetur generale Decretum diei 19. Augusti 1817“, ad secundam quaestionem: „affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7. Aprilis 1832. N. 4682. (Vd. decr. n. 4513.)

b) Graduale.

In plerisque missalibus Graduale in festo dolorum B. M. V. sic legitur: „Hoc crucis fert supplicium vitae factus homo“ in aliquibus autem: „auctor vitae factus homo“; quaeritur: quaenam lectio sit retinenda?

Resp.: Tristi quidem experientia compertum est, evenire aliquando, ut in novis quibusdam missalibus, breviorum etc. editionibus, quoniam ea religiose non observantur, quae sapientissime constituta sunt, excidat aliquoties diversa lectio. Neque haec s. Congregatio ignorat anno 1804 petitum fuisse: quaenam lectio retinenda esset in *Communicantes* in die et octava Pentecostes, eo quod in quibusdam missalibus legebatur *igneis linguis*, in

aliis quam pluribus: *innumeris linguis*. Simili de causa proponitur hodie primum hoc dubium circa id, quod in discrepantia missalium legendum vere sit in graduali missae in festo dolorum beatissimae virginis Mariae. Jamdiu sacra haec Congregatio, ad relationem Emmi Cardinalis Chisii, missam de septem doloribus beatissimae virginis approbavit et a fratribus Ordinis servorum ejusdem beatissimae virginis celebrari posse indulsit, nempe inter missas votivas diebus a rubrica non impeditis, dominica vero tertia Septembris solemniter cum Gloria et Credo cum indumentis violaceis, eandemque missam ad eorum usum tantum imprimi posse concessit. Constant haec ex decreto ejusdem sacrae Congregationis die 9. Junii 1668. Benedictus XIII. per decretum ejusdem S. Congr. diei 22. Augusti 1727, ut refert Cavalerius, concessit officium et missam septem dolorum B. M. V. celebrandum fer. VI. post dominicam Passionis. Pius VII. tandem pia devotione motus erga B. V. M. dolore transfixam per generale decretum Urbis et Orbis diei 18. Septembris 1814 praecepit ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis recurrente dominica 3. Septembris celebraretur festum dolorum B. M. V. extendendo ad omnes tam saeculares quam regulares, qui ad horas canonicas tenentur, officium et missam jam concessam Ordini servorum ejusdem B. M. V. situ dupl. maj. firmaque nihilominus remanente ejusdem festi commemoratione, quae fit in fer. VI. post dominicam Passionis.

Cum itaque missa, quae celebratur dominica 3. Septembr., eadem sit, quae Ordini servorum B. M. V. jam diu ab anno 1668 concessa fuit, operae pretium duxi, ut propositae quaestioni satisfacerem, eam missam inspicere, cum eaque expositam lectionis varietatem in graduali conferre. Non au-

tem in hac re multum adlaborandum fuit, nam mihi, benignissima habita venia, obtigit habere ob oculos manuscriptum originale exemplar illius missae, quae primitus concessa fuit fratribus Ordinis praefati, quod asservatur in regesto secretariae hujus S. Congregationis anni 1668 pag. 45. In eo autem aperte legitur: *hoc crucis fert supplicium vitae factus homo*. Nihil igitur superest, nisi ut quemadmodum quaestioni supramemoratae die 3. Maii 1804 S. Congregatio respondit ad 2: *lectionem innumeris linguis esse conformem missali ab Urbano VIII. recognito*, ita vos primae huic quaestioni, si placet, rescribatis: *lectionem „hoc crucis fert supplicium vitae factus homo;“ conformem esse originali exemplari missae primitus concessae.*

S. C. resp.: Retinendam esse lectionem: „Hoc crucis fert supplicium auctor vitae factus homo.“

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 331.)

e) Officium.

Ordini Servorum, in solenni commemoratione septem dolorum B. M. V. dicti ordinis titularis et patronae.

Cum S. Rituum Congregatio alias approbaverit et ad usum universo ordinis servorum B. M. V. officium proprium in commemoratione septem dolorum ejusdem B. V. dicti ordinis titularis et patronae, in dominica tertia Septembris et semel in hebdomada, nec non cum lectionibus pariter propriis pro singulis mensibus, uti devotionem proprie et principaliter ad dictum ordinem spectantem, recitandum concesserit; mox ad reiteratas et supplices preces R. P. Joannis Francisci Mariae Poggi generalis praefati ordinis servorum ac P. Petri Antonii Rossi

procuratoris generalis totius suae religionis nomine in S. Rituum Congregatione porrectas et ab Emo Albano relatas, eadem S. Congregatio benigne inclinata, concedendum esse censuit, ut in posterum omnes et singuli religiosi utriusque sexus ordinis praedicti, qui ad horas canonicas tenentur, celebrare possint et valeant quolibet anno, dicta dominica tertia Septembris idem festum ipsius B. M. V. septem dolorum cum officio et missa sub ritu duplici secundae classis cum octava. Lectiones vero pro secundo et tertio nocturno infra dictam octavam desumendas esse ex praedictis mensibus, servato earum ordine in qualibet die per totam octavam successive recitandas, si SSmo D. N. placuerit. Die 2. Augusti 1692. Facta igitur deinde SSmo D. N. Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit. Die 9. ejusdem mensis Augusti et anni 1692.

(Anal. J. P. 1865 p. 1327 n. 2471.)

d) Vigiliae.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

1. Qui ob peculiarem servitutem, qua erga Deiparam devicti sunt, viri regulares Servitae dicuntur, petitionem suam sacro huic Ordini hodierna die exhibent, qua ut sibi concedatur novo honore cultum erga B. V. augere humiliter exposcunt. Facultatem nempe petunt peragendi vigiliam ante festum septem dolorum B. M. V., addita officio illius diei homilia pro nona lectione et celebratione missae propriae de vigilia post nonam, celebrata jam post tertiam missa conventuali de festo currenti. Quam ego petitionem, Patres Eminentissimi, libenti animo vobis exponendam suscepi, cum enim undequaque opportuna videatur, facile confido ut postulatorem per vos sui voti

compotes fiant concessa nimirum vigilia et approbata homilia et missa, quae in adnexo summario proponitur.

2. Nam, cum vigiliae peragantur in Ecclesia ad praeveniendas solemniores ac praecipuas festivitates, festum septem dolorem B. M. V., etsi ex solemnioribus et praecipuis non sit, quae Ecclesia ipsa in honorem Deiparae celebrare consuevit, attamen solemnissimum illud est Ordini illi. Et quidem qua pompa, quo externo apparatu, quo splendidissimo cultu celebrent, neminem profecto latet. Testis est romanus populus, qui frequentissimus eo die ad templum s. Marcelli adcurrit, ad solemnem supplicationem affluit ac per integram octavam Virginis dolorosissimae sacram effigiem publicae fidelium pietati ibi expositam veneratur. Festi autem ritus pariter ex solemnioribus est, scilicet duplex primae classis cum octava privilegiata. Nec satis, praeter quod enim in singulis sextis feriis ac dominicis diebus memoriam dolorum B. Virginis appositis precibus recolunt, in singulis item sextis feriis non impeditis officium recitant missamque celebrant septem dolorum, ut reapse cultus, quo regulares ii martyrum Reginam prosequuntur, sit prorsus specialis.

3. Et jure quidem meritoque, eam namque Ordinis sui non modo principalem patronam habent, sed et fundatricem primam, quae septem beatos fundatores in peculiare sui servitium adsciscere dignata est, iisque non solum regulas, quas servarent, sed et habitum, quem gestarent, in suorum dolorum memoriam praescribere, uti ipsius Ordinis enarrant historiae, ad quas ipse summus legifer noster Benedictus XIV. appellat. (Lib. 2. p. 1. cap. 21. n. 9).

4. Quamobrem petita vigiliae concessio justa omnino videtur jejuni-

que, quod ea die ex Ordinis constitutionibus servant, consentanea. Ne difficultas ex eo derivari posset quod aliquando ejusmodi vigilia cum feria quatuor temporum Septembris concurrat. Locum enim tunc habebit quod rubricae praescribunt. Scilicet quando ea concurrentia non aderit (ut in hoc anno eveniet), officium et missam, uti par est, de vigilia celebrabunt: secus autem nil die vigilia fiet in officio, in missa vero commemoratio. Qua de re Joannes Michael Cavaleri in suis comment. in authent. S. Rituum Congr. decreta etc. cap. XV. de vigiliis decret. I. n. XVIII. ait: Incidit nunquam vigilia in ferias majores, adventus scilicet, quadragesimae, aut quatuor temporum, et nil prorsus de ea in officio agendum esse disponunt rubricae... Et de commemoratione in missa peragenda subdit inferius ibi: hanc in missa fuisse permissam, quia cum consistat in pura oratione, quae propria est, non censetur commemoratio de feria sed magis de Sancto, cujus festum vigilia praevenitur. Et n. XX.: Sive autem duae eadem die occurrant vigiliae aut vigilia incidat in ferias quadragesimae aut quatuor temporum, non propterea plures missae in collegiatis cantandae erunt sed solum in missa de feria, de qua fit aut fieret officium, vigiliae ulterius commemoratio fiet et in casu occurrentis festi alicujus altera dumtaxat cantabitur conventualis missa de vigilia aut feria cum commemoratione, ut supra, quemadmodum eruitur e rubrica III. missalis et cum Gavanto communiter tradunt auctores.

5. Quae cum ita sint, preces, quas vobis, Emmi Patres, superior generalis Ordinis servorum B. M. V. quoad vigiliam ante festum septem dolorum ipsius celebrandam totius ordinis nomine exponit non irritas fore confidimus, praesertim cum non agatur de concessione, quae

universum Clerum respiciat, sed unum ex regularibus ordinibus, qui proprio utitur breviario, ac de quodam veluti additamento peculiari cultui, quo festum patronae suae ordo ille celebrat. Qua quidem concessione gaudent, tum etiam eam obtinuerunt paucis ab hinc annis religiosi Franciscanae in pervigilio immaculatae Conceptionis B. M. V., qui, quamquam Deiparam sub hoc titulo maximo honore prosequantur attamen de suo ordine ab ipsa fundato, haud certe possunt gloriari. Et de gratia etc.

Actum S. C. R. 9. Julii 1859.
(Anal. J. P. 1860 p. 1886.)

SEPTEM FRATRES.

(Officium.)

Ad dub.: an homilia propria, quae habetur in festo septem fratrum et sociorum martyrum, et legenda sit, quando de eorum uno tantum fieri debet festum? S. C. resp.: Si officium celebrandum sit sub ritu dupl. 1. vel 2. cl. doceatur de casu particulari, si sub ritu inferiori, non esse separandum festum ss. septem fratrum, sed de omnibus officium conjunctim peragendum sub eo ritu convenienti uni ex septem frat., cujus peculiaris festivitas peragitur, translato juxta rubricas festo ss. Rufinae et Secundae.

N. 4474 ad 9. die 2. Mai 1801.
Vd.: S. *Alexander mart.*

SEPULCHRUM.

1) Beatorum.

(Insignia.)

Vd.: *Sepulchr.* (inscriptio etc.)

2) Defunctorum.

a) In Ecclesia.

Vd.: *Dedicatio ecclesiae* (sepulchra); *Altara* (super quo sunt cadavera etc.); *sepultura* (in eccles. erig.; juxta altare; modus).

b) Inscriptio, Insignia.

Arma seu insignia in ecclesia vel capella aut sepultura posita a primo Fundatore nullo modo amovere possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et ne quidem ab ejus haerede mutari possunt, qui novus Heres, si sit alienae familiae a Fundatore, potest quidem etiam sua arma et insignia reponere, at semper remanentibus illis primis fundatoris cum perpetua inscriptione fidem faciente de primo Fundatore; *l. Qui liberalitate §.: Nec ejus nomine, ff. De operibus public.* ibi: „Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus constructum est, eraso, alia nomina inscribantur.“

In sepulchro servi Dei cum fama Sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliquod signum insolitum ad dignoscendum, quod ibi sit sepultus; cultus enim publicus prohibitus non inferitur, ex quo corpus servi dei tumulatum sit in sepulchro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsula collocata in sepulchro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulchro magifico; sic egregie et erudite suo more plurimis adductis docet Card. de Lambertini (fuit Summus Pontifex), *lib. 2. de servor. Dei Beatic. et Beat. Canonizat. cap. 12. n. 12. et sequ.* Et ratio est, quia si haec et his similia libere fiunt erga illos etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri potuerunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: cum isti nedum deterioris sed multo melioris et excellentioris conditionis prae illis haberi debeant, tum quia, absque eo quod ob id quidpiam commissum dici queat seu contra jus commune seu contra Urbani VIII. decreta aliasque apostolicas sanctiones,

summe hoc juvat ad probandam identitatem, de qua trac u temporis posset exoriri dubitatio, sicque difficilius fieri probatio, ut contigisse in casu nostrae beatae Hyacinthae de Marescottis testatur supralaudatus de Lambertinis loc. cit. n. 13. Unde ad avertendum dictum periculum supradicta licere tradunt *Pignatell.* tom. 4. consult. 48.; *Castellin.* de certitudin. Glor. Sancto. cap. 2. punct. 32. n. 41. et *Molphey.* cons. 45. n. 14. ibi: „Si enim hujusmodi viris sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus non daretur, sed simul cum aliis humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari et distingui et sic ecclesia careret corporibus et aliis sanctorum reliquiis, et sanctorum cultus maximam pateretur jacturam“. Sic refert et tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis loco cit. n. 12. et sequent. merito ibi et per tot. attente et fructuose legendus.

Supra sepulchri tabulam pro libito ornamenta plana quaelibet haeredes efformare valent, dummodo e solo non emineant et absint coronae, vulgo cornici. S. Congr. Episcop. et regul. 26. Maii et 6. Octobris 1645.

c) Visitatio.

Vd.: *Visit. de funeribus.*

3) SS. Reliquiarum.

Vd.: *Reliquiae; altare* (reconcil.); *reliquiae* (in altari); *consecratio altar. plurium* (decr. n. 4914 ad 9); *consecratio altaris portat. execrati; altare portatile* (execratio).

4) Sanctorum.

a) Aperitio.

Reliquiae (asservatio etc. praecipue decr. Greg. XVI. de die 16. Febr. 1833); *s. Francisc. Ass.* (Inventio s. Corp.)